



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. De Electione facienda à majori & saniore parte Capituli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

privatis schedas fit Scrutinium, quo in casu pro probitate eligentium, juramento sæpius ad dignissimum eligendum adstrictorum præsumitur *Clement. 1. §. de muni de V. S.* & si nullum dubium super habito Scrutinio, aut qualitatibus nominati, &c. moveatur, sufficiat sæpe generalis aliqua collatio.

## §. IV.

## De Electione communi, seu Capitulari, &amp; solemnii.

Collatione facta, si appareat, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit & dignus hic sit, ac habilis, fieri debet statim, eodemque contextu, antequam ad alia extranea divertatur, nisi necessitas aliud jubeat, decretum electionis, & omnium nomine ab uno, qui præest V. G. Capitulo, vel alio quocunque juxta loci consuetudinem, aut Capitularium voluntatem, publicè promulgari, quis sit electus, uti iterum ex relat. *c. quia propter*, habetur; forma autem Decreti hujus, & hujus publicationis communiter hæc est: *Ego N. nomine meo, & omnium eligentium mibi que consentientium, invocata gratia S. Spiritus, in Episcopum, vel Abbatem hujus Ecclesie N. eligo & electum pronuntio, & coram vobis publico, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et hinc Clandestinæ electiones, quæ non publicantur in Capitulo, aut quæ fiunt clamculum in locis seu conventiculis occultis, reprobantur in relato *c. in Genesi*, & in *c. Ecclesia 48. b. 1.* quæ sine verbali promulgatione facta fuit, vel deportationem V. G. ad aram, &c. si tamen sint Electiones Prælatorum Ecclesiasticorum, in

quibus observari debet forma *c. quia propter*.

## §. V.

## De Electione faciendâ à majore &amp; saniore parte Capituli.

**R**esp. 1. à minore Capituli parte facta electio, quæ jure naturali etiam irrita est, non potest convalescere, per accessionem votorum, si ea ab aliis fiat, post decretum electionis communis factum, & solemniter promulgatum (ut patet ex *c. auditis 29. b. 1. quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. juxta Reg. juris 29. FF. de Reg. juris*) si tamen talis accessio fiat post promulgatum quidem scrutinium, nondum tamen factum aut promulgatum, electionis Capitularis decreto, eo quod ex Scrutinio illo nulla Capitularis electio fieri possit, valida erit electio, si major pars Capituli in unum aliquem taliter consentiat. Censetur autem major pars Capituli in unum consentire, non quidem, si plures Capitulares tantum sint pro aliquo, & pro aliis sint pauciores, sed pro quo stat major pars Capituli præsentis, ita ut plus, quam dimidia pars præsentium, & volentium eligere, in unum aliquem consenserint, modò duæ partes eorum, qui volunt, & possunt adesse, præsentibus sint, prout patet ex relat. *c. Ecclesia 48. b. 1.*

**R**esp. 2. Requiritur quidem ad validam electionem copulativè, ut à majore (quo ad numerum) & saniore (quo ad auctoritatem & zelum eligentium, ac electi meritum) parte electio fiat, ita ut à majore quidem parte facta electio non tamen à saniore, & vicissim, nulla sit, pro-



ut constat ex *c. Ecclesia 57. h. t.* sæpius tamen, ut supra dictum, sanior pars non tam in Examen adducitur, quam ex majore Capituli numero pro una parte præsumitur, ita tamen, ut contra hanc præsumptionem admittatur in contrarium probatio; & si in discordia duæ v. g. electiones factæ sint, ita ut pro una parte sit major numerus Capituli, pro altera parte sanior, si duplo major sit pro una parte eligentium numerus, electio talis valida sit, modò electus sit habilis; si verò non sit numerus multùm excedens sanio-rem partem, neutrius electio valida sit, sed novum Scrutinium sit faciendum, uti habetur in *c. si quandoque h. t. in 6.*

Sicuti tamen supra jam animadvertum fuit, observanda hæc, si juxta *c. quia propter* per Scrutinii formam in illo capitulo descriptam facienda est electio, quæ tantùm adhibenda est in electionibus Episcoporum, & Prælatorum Regularium, qui in multis æquiparantur Episcopis, & ex quorum morte non minus suo sponso viduata Ecclesia regularis dicitur: quàm ex morte Episcopi Ecclesia Cathedralis, ita etiam hæc adverti debet, quòd sæpius in Ecclesiis etiam talibus hæc forma non observetur, ubi receptissima à tempore immemoriali consuetudo, aut speciale privilegium, aliam jam eligendi formam introduxit, aut exiguus numerus eligentium aliud jubet, ut supra jam dictum.

#### §. VI. VII. & VIII.

##### De forma Electionis per compromissum.

**A**ltera species electionis est, ut illa fiat per compromissum, quod tunc

fieri censetur, quando illi, quibus jus eligendi competit, communi consensu facultatem eligendi Prælatum in certas quasdam personas transferunt, qui compromissarii dicuntur, & nomine ac jure omnium, Ecclesiæ vacanti de Pastore provident: quod compromissum ut valeat, debet fieri expressè consentientibus omnibus, qui jus suffragii habent, in tale compromissum, ita ut nemo dissentiat, uti habet etiam *Gloss. in 6. quia propter V. vice omnium*: quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, juxta *reg. juris 29. in 6.* & taciturnitas in tali casu præjudicante non habetur pro consensu. Et quamvis compromissarii debeant esse viri idonei, ut loquuntur jura, Clerici non Laici, cum hujusmodi jura spiritualia non cadant in Laicos *c. sacrosancta 51. h. t.* nisi ex speciali commissione sedis Apostolicæ, non tamen debent necessariò esse de gremio Capituli *Gloss. in c. quia propter V. viris*, neque necesse est, ut fiat legitimum compromissum in plures, cum unus sufficiat, Episcopus v. g. respectu sibi subjeçti Capituli, uti sumitur ex *c. causam 8. h. t.* aut, ut fiat in numero impares, sed fieri etiam potest in numero pares, ut colligitur ex *c. cum in veteri 52. h. t.* (quamvis ad multa incommoda vitanda commodius illud sit) & à tali compromissario, vel à majore numero talium compromissariorum electum admittere debent compromittentes, si dignus & idoneus est, cum electus à compromissariis, ab ipsis electus censetur, quorum nomine compromissarii eligunt.

Potest autem duplici modo fieri electio per compromissum, absolutè scilicet

&c